



Quotidiana Christiani Militis Tessera

Stanyhurst, Guillaume

Coloniæ Agrippinæ, 1682

2. Dies Augusti. Beatus, qui amat te; & amicum, in te; & inimicum, propter te. S. August. l. 2. Confess. c. 9.

Nutzungsbedingungen

[urn:nbn:de:hbz:466:1-55659](https://nbn-resolving.de/urn:nbn:de:hbz:466:1-55659)

Augustus.

Tessera.

597

quod esse per se nequit infectum, efficere, quasi
nunquam sit factum. Hæc facis modico fletu. Ita-
que

Fle pro peccatis; in cælum scandere si vis.

2. DIES AUGUSTI.

Beatus, qui amat te; & amicum, in te; & inimicum,
propter te. S. August. l. 2, Confess. c. 9.

Inimici
diligendi:
injuria
remitten-
dæ.

Habet Charitas angustum si-
num, non tantum, quod est
etiam Ethnicorum, ad ami-
cos; sed quod Christianorum,
ad inimicos sese explicat, adeoque omnes suo am-
plexu implicat. Quisquis eā pollet, injurias non mo-
dò lubens admittit, sed gaudens remittit. Non ne-
scius maximum esse supplicium injuriæ illatæ, intu-
lisce: adeoque gravius esse, injuriam facere, quam
accipere. Inimicos diligere, iisque injurias remitte-
re, non tantum decet, sed oportet: quia Deus illud
non tantum ut amicus consulit, sed ut Dominus
præcipit: Christus illud non modò suadet, sed jubet.
Quid, inquires? egóne illum onerabo beneficiis, qui
tot me infectatus est maleficiis? Ipse mihi atrocem
intulit injuriam, & ego referam illi gratiam? Egóne
pro illo piè precabor, qui mala mihi omnia impreca-
tur? Is odio mei rabidus, ubique me persequitur, &
ego amore illum prosequar? Non potest fieri: re-
pugnat naturæ, pugnat contra rationem, excedit
hominis vires. Itane verò? ergóne illa tibi censetur
prudentia, malle se perdere, quam inimico parcere?
præstare potius esse malum, quam pati mala? satiùs

Pp 3

esse,

esse, æternū ardere in tartaro, quām ignoscere inimico? Quæ hæc mentis cæcitas? quæ voluntatis prævitas? quæ animi perversitas?

II. Quid, si tu alicui debetes mille aureos; & alter tibi decem, & in hunc modum tecum pacisci-
retur: Tu mihi remitte decem, & ego tibi remittere
mille. An non millies illi gratias ageres? an contra-
ctum rescinderes? Ubi igitur judicium tuum? ubi
prudentia? ubi fides? Quodlibet, quod commisisti,
flagitium, est irmane debitum. Eriam à peccato ab-
solutus, non es solvendo; quia remissâ culpâ, superest
solvenda pœna. Es igitur Deo debitor plusquam
decem milium talentorum, ut potè reus peren-
nium suppliciorum: inimicus verò tuus, unius dun-
taxat tibi injuriæ illatæ est debitor. Deus autem sic
tecum pacisci cupit: Tu illi remitte debitum illud
minimum, & ego remittam tibi maximum. Et pa-
ctum admittere dubitas? & tecum, an admittendum
sit, deliberas? in modo admittere recusas? Certè, si rem
grandem tibi præcepisset, cui quidlibet præcipiendi
jus est, ut posset vel minimi, quod concipi potest, de-
licti debitum tibi remittere; si quotidie expiatoriis in
te flagellis animadvertendum foret, si corpus ine-
diâ macerandum; si cilicino amictu caro castigan-
da; si trans Alpes peregrinari oporteret; si facultati-
bus omnibus renuntiare; certè, nisi impos fore
mentis, facere debuisses: quanto magis, dum tibi di-
cit: (a) *Dimitte, et dimittetur?* Audi Christostomum:
(b) *Non dixit Christus, ut oremus: Dimitte nobis
debita nostra, sicut et nos dimittimus debitoribus no-
stris; sed dimitte nobis, sicut et nos dimittimus: ut prius
dimi-*

(a) *Matth. 5.* (b) *Matth. 5. In Imperf. Hom. 6.*

Augustus.

Tessera.

599

dimitamus, & postea dimissionem nobis petamus; & sic dimissionem nostrorum peccatorum à Deo accipiamus. Non hīc licet differre, oportet priùs dimittere, quām petere, ut Deus dimitat.

III. Quid, si medio in foro arderet pyra, & accessis facibus arderet ignis, Judexque tibi minaretur, te piceā veste, modestāque tunicā induendum, vel inimico ignoscendum. Age, quid ageres? an tecum diu quid agendum foret, cogitares? Imò licet inimicus ille tuus omnia abstulisset tua; licet filium unigenitum jugulasset, aut uxorem mactasset: injuriam quantam cunque, nullā interpositā morā, remitteres, ut pœnam evaderes. Et ubi nunc Christiane, tua fides? Minatur tibi æquissimus sceleratum Judex, & severissimus scelerum Vindex: Aut inimico injuriam remitte, aut me aliquando audies: Recede à me maledicte in ignem æternum. Et tu tam es velanus, ut non modò non remittas injuriam, sed cogites etiam vindictam. Ruborem hīc tibi incutient, si quid tibi in fronte superest ruboris, Ethnici, injuriam, quām faciles admittere, tam non difficiles remittere. Zeno inimico dicenti: *Diffe-
ream, ni malum tibi dedero*, retulit: *Eego diffe-
ream, ni te mihi conciliavero*. Pleni sunt Veterum annales hujusmodi exemplis, sed malo te Christianorum exemplis accendere, quām Ethnicorum confundere. Ludovicus XII. Galliæ Rex, gravissimis lacesitus contumeliis, cùm in Regni hæreditatem cessisset; & calumniatores sibi fugā consulerent, absentes Regio hoc editio revocavit: *Privati personam exi; Rex quippe constitutus, hac convitia neque curo,
neque ulciscor*. Nonte Deus suum filium agnoscer,

600 *Christiani Militis* *Augustus.*
nisi inimico ignoscas. Inimicus tibi erit seges hono-
ris, & gloriae, si immemor fueris injuriae.

3. DIES AUGUSTI.

Grande est, intra se aliquem tranquillum esse, & sibi
convenire. *S. Ambr. l. de Jacob. l 2. c. 6.*

Pax ani- I.

A ucos, qui sibi convenient, inve-
niens. Intra se esse tranquillum,

Ptam singulare, quam commune
extra se esse seditionum. Quo-

modo residuebit in corde Pax, ubi ardet fax omnium
bellorum cupiditas, quæ perpetuò effert signum;
canit classicum? Pax ab soluta omnibus suis muneri,
haberi non potest, ubi qui pacem tollunt, sunt hostes
innumeri. Hic enim secreti à principe pacis, in ex-
ilio degimus; depositi à patria pacis; hoc est, ab illa,
quæ sursum est, Jerusalem, in hac tetra colluvione
vivimus. Tunc imperturbabilis erit pax, cum ad cen-
trum omnis boni dabitur aditus, & exuti mortali-
tatis exuviis, arctè cum principio nostro, Deo, qui
in principio creavit cælum & terram; relicta terra
ingressi cælum, Conjugemur. Quare cum divini
proprium sit esse omnino immobile, totum unum
multiplicare vacuum, molestiarum omnium expers,
& contrariorum inane, se contentum, atque in bo-
no, quod affectionem omnem exhaerit, felicissime
quieteens. Anima Deum possidens, & ab eo claris-
simis radiis illuminata, & affluentia omnium bone-
rum circumameta, illum statum, & quietem imita-
tur. Hujusmodi plenam pacem frustri in hujus vita
curieulo expectes, supra Empyreum tutum sibi, &
nullis mutationibus obnoxium, nacta est domicilium,

II. Ad-